

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm

Bonagratia <von Habsheim>

Friburgi Brisgoiae, 1665

Forvm

[urn:nbn:de:bsz:31-160625](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160625)

4. tr. 9. Et nostrum P. Sorbum in allega-
 o Comp. Priu. V. Ecclesia Fratr. vbi monet
 Regulares esse cautos, ne sinant Malefacto-
 res in suis locis vel Ecclesijs à Ministris Iu-
 stitiæ capi, nisi particularem afferant Epi-
 scopi siue eius Officialis licentiam contra
 particularem illum Malefactorem, cum
 interuentu personæ Ecclesiasticæ, Vt habe-
 tur statutum à Greg. 14. in Bulla. Cùm alijs.
 An. 1591. Nono Cal. Iunij. de Immunitate Ec-
 clesiasticâ.

FORVM.

203. Forum quid sit, & quoruplex?
 204. Absolutio in foro conscientia quid im-
 portet? 205. Eius utilitas.
 206. Facultas absolutè data num valeat pro
 vtroque foro?

203. **F**orum, propriè locum, per Meto-
 nomiam, actum Iurisdictionis &
 Iudicij ipsum denotat, atque in Sæculare
 & Ecclesiasticum diuiditur; Istud in exte-
 rius, & interius; Hoc rursùm in forum
 conscientia, & pœnitentiale, velut genus
 in suas species Barbos. in locis comm. loc. 50.
 n. 9. partitur, quia sunt effectus ad forum
 conscientia pertinentes, qui extrà Sacra-
 mentum Pœnitentia possunt expediri, vt

CCIII.
 Forū quid
 & quo-
 ruplex?

est absolutio à censuris & dispensatio irregularitatum, etiam à non sacerdote. Alij verò sunt effectus necessarij supponentes Sacramentum Pœnitentiæ, & sacramentalem absolutionem, vt est remissio peccatorum quoad culpam. Alijs tamen magis placet pro eodem accipi forum Pœnitentiæ & conscientiæ, & neutram vocem arctari ad pœnitentiã sacramentalem, sed extendi ad omnem illam, quæ ad satisfaciendum conscientiæ, & ad tollendum vinculũ censuræ coram Deo ordinatur. Ita Soar. 10. 4. de Relig. tr. 10. l. 9. c. 2. n. 32.

CCIV.
Absolutio
in foro
conscientiæ.

204. Absolutio in foro conscientiæ, licet vera & simpliciter absolutio sit, cum re ipsa verè tollat censuram & obligationem in conscientia, quæ ex illa nascitur coram Deo, non tamen omninò coram Ecclesiã, quæ est diminutio quædam secundum quid, introducta præcipuè in fauorem excommunicatorum, propter crimina occulta, ne homo seipsum in foro exteriori prodere cogatur. Ne autem homines postea abuterentur huiusmodi absolutionibus fori interioris, ad facilius peccandum; idè sapientissimè etiam ab Ecclesiã institutum & perpetuò obseruatum est, vt absolutio fori interioris, nihil omninò profit in foro exteriori, etiam pœnitentiã peractã, quin

quandocunque crimen detegetur, in exte-
riori foro accusari & puniri possit, ac si verè
excommunicatus esset, vel iudicari tanquam
Irregularis, eò quòd celebrauerit, vel tali-
ter dispensatus nihilominus à susceptione
SS. Ordinum repelli, &c. Sayr. *de cens.* l. 2.
c. 20. n. 32.

205. Ne propterea tamen putes inuti-
lem esse penitus illam absolutioem seu di-
spensationem in foro interiori. 1. enim verè
restituit hominem consortio Ecclesiæ, &
facit illum participem suffragiorum Eccle-
siæ, quod est maximi momenti. 2. reuerà
tollit omnes inhabilitates, & facit capacem
beneficiorum, Iurisdictionis Ecclesiæ &c.
3. Vt, si quis occultà censurà antea teneba-
tur, possit post absolutionem illius datam
in foro interno seu conscientiæ, publicè &
priuatim se gerere, ac si nunquam fuisset illà
notatus. Si verò censura erat publica, tum
si constet eum fuisse in subileò aut aliorum
Præuilegiorum virtute absolutum, poterit
etiam publicè se gerere, ac si nunquam fuisset
reus censure: At si non constet publicè
quòd sit absolutus, debet vitare scandalum,
atque se gerere tanquam absolutus non es-
set. Denique liberat hominem ab omni
obligatione in foro conscientiæ, ita vt ipse
non teneatur alicui pœnæ se subijcere, vltra

V 4

pœni-

CCV.

Eius vti-
litatis.

pœnitentiam sibi ad satisfactionem iniungam à Sacerdote absolvente. Soar. *cit.* n. 37. Ex aequitate quoque poterit & suo modo debet iudex, si illi constiterit pœnitentem contra censuram, post absolutionem nihil peccasse, non ita illum punire, ac si verè deliquisset, sed quantum expedire iudicauerit, vel ad vindictam prioris contumaciæ, vel ad publicam satisfactionem, & ad auferendum scandalum, si quod intercessit. Nam hoc postulat tunc ratio Iustitiæ ex natura rei, quia veritas debet præferri præsumptioni, quando de illa constat, vt pœna non excedat culpam. Vnde Henriq. allegatus à Barbos. *Vbi sup.* n. 4. tradit dispensatum in sacra Pœnitentiaria pro foro conscientiæ ad matrimoniû contrahendam, non debere ab Episcopo inquietari. Idipsum admittit Sanch. *de Matr. l. 3. disp. 15. n. 14.* quando nullus denuntiat impedimentum, vel Matrimonium accusat, quod Parochus, aut ordinarius, quamuis ipsis constet de impedimento, si constet etiam de dispensatione pro foro conscientiæ, possint dissimulare, & sic impeditos coniungere: aliàs dispensatum indigere aliâ dispensatione, ne in exteriori foro separari cogatur etiam post contractum Matrimonium, sicuti paulò superius dixi, licet de

De absoluteione constet pro foro conscientia
 data, vt tamen in foro exteriori pro abso-
 luto habeatur, alia insuper absoluteione o-
 pus esse ab eo, qui iurisdictionem in vtro-
 que foro tenet.

206. Grauis est inter scribentes con-
 troversia, quando facultas datur absoluendi,
 aut dispensandi, absque limitatione,
 num illa valeat pro vtroque foro? 2. Vtrū
 quando Priuilegium, vel Bullæ faciunt fa-
 cultatem absoluendi, vel dispensandi in
 foro conscientia, supponant necessariò
 præmittendam esse Confessionem Sacra-
 mentalem, an verò extra Pœnitentiæ Sacra-
 mentum vtiliceat? Ad 1. R. affirmat, cum
 P. Cypr. in c. 7. Reg. lec. 12. qui plures alios
 grauissimos DD. ita sentite refert; Ratio
 est, quia cum sit favor, sine dubio amplè
 interpretanda est illa facultas. Deindè, quia
 verba simpliciter prolata in vtroque foro æ-
 què verificantur. l. 1. §. Quod autem. ff. de
 aleat. Vide dicta V. Absolutio quoad Sacul. n.
 45. Ad 2. R. licet per particulam illam in-
 telligant aliqui, necessarium esse, quod
 talis absolutio seu dispensatio detur in Sa-
 cramento Pœnitentiæ; Probabile tamen
 est per illud, in foro conscientia non denotari
 hoc, sed solum quòd talis absolutio vel di-
 pensatio non suffragetur recipienti in foro

CCVI.

Facultas
 absolute
 data nū
 valeat in
 vtroque
 foro?

V§

CXIc

exteriori, sed solum in foro interiori animæ.
Ita Lezan 10. 1. c. 18. n. 45. & 10. 3. V. Absolutio. n. 6. An idem liceat, si facultas illa detur, cum clausulâ, in foro Pœnitentiæ &c. Vide dicta cir. V. Absolutio. n. 48.

GVARDIANVS.

207. *Guardianorum qualitates, Electio, duratio, &c. remissivè.*
208. *Eorum potestas Domestica.* 209. *Iurisdictionis.*

CCVII. 207. **G**uardianos quomocunq; electos, esse verè Prælatos & habere curam animarum, declaravit Clem. 4. & Sixt. 4. relati à Corduba in *Comp. Prin. Mend. ad V. Guardianus*. De illorum electione, duratione &c. dictum est sufficienter *V. Electio*. An possint mutari vel etiam spoliari officio, *Vide V. Prælati*. De Promouendis ad Prælaturas Conuentuales, hoc imprimis aduertit P. Sigism. *de Elect. dub. no. n. 13.* inspiciendam esse nedum ætatem & doctrinam, sed mores & prudentiam, ita vt merito ille præferatur ac semper præferendus sit, qui alterum antecellit integritate vitæ, prudentiâ, aliisque virtutibus ad regendam Ecclesiam opportunis, licet hic alter ef-

set